

Heinrich Christian Tielcke Lorenz Henning

Ztmata Sophica De Conceptu Summi Numinis Contrahente

Rostochii: Richelius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732447496>

Druck Freier  Zugang



RU. phil 1686
Tschelke, Minor. Christ
Hennings, Laurentius

60
JEHOVA JUVA!

Συζησια Sophia

De

CONCEPTU
SUMMI NUMINIS
CONTRAHENTE,

Consensu ^{Quo} AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI,
PRÆSIDE


M. HENRICO CHRIS-
TIANO Zielcken/
Rostochiensi;

RESPONDENTE

LAURENTIO HENNINGIO,
Mansfeldensi.

Eruditorum publico iudicio, in Academiae
varniacæ Auditorio Majori,
submittentur

Ad diem 5. Junii Anni 1686.



ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIIUS, Ampliff.
Senat. Typograph.

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF

ROSTOCK

CONTRACT

NO. 1000

M. HERBICUS

STABILIUS

ROSTOCK

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF

ROSTOCK

NO. 1000

CONTRACT

ROSTOCK

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF



//
: ש ש 5

ANEY ΠΡΟΟΙΜΙΟΥ.

ζήτημα I.

*An ritè summo Numini conceptus contrabens
assignetur?*

§. I.



Conceptus, primi Etymi ratione, à con & capio dictus, fœtusq; conceptioni proprius, tropicè dein ab hoc illove Sophorum adhibetur. Duplex scil. generatim loquendo, philosophis dr. conceptus: 1. formalis, qui est *imago intellectui inherens, eius objectum idealiter representans*. Elegantissima proportione hæc denominatio nititur. Sicut enim ex congressu maris & fœminæ frugifero concipitur fœtus, sic per concursum & unionem intellectus & objecti species producuntur, quæ intellectui repræsentatæ, in eundemque receptæ, conceptus dicuntur. In hunc sensum accuratè quæpiam notavit Georg. Mejerus in Gnostologia p. 186. 2. Objectivus, estque *quicquid intellectui per conceptum formalem objicitur*. Hunc objectivum conceptum, qui variè subdividitur, inadæquatè, & per meram *χέσιν*, quâ formalem respicit, adeoq; κατ' ἀναλογίαν illam, de qua philosophus per exempla libr. I. Nicom. cap. 4. Conceptum appellitari ambabus largior; ast ex hoc vocis valore non inmutato ἀπαιδευσίαν exurgere pernego. En!

A 2,

in-

Innotuit diversa vocis impositio, vi usus, eandem comprobantis, & discentium menti instillantis. τὸ ὄνομα ἄπειν
Solum usus firmat; quo collimant illa Venusini:

Ut sylva foliis pronos mutantur in annos,

Prima cadunt: Sic Verborum Vetus interit aetas.

Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque

Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.

Hinc & priscorum philosophantium, insimulque Didacticorum onomatopoiia, sive ratione primae inventionis, sive specialis applicationis talis, usus si accesserit, non temerè rejiciatur: ne eo ipso confusio, & per sequelam, ἀπαιδευσία, quam evitare allaboras, inducatur. Nec obstat σκληρολογία, quae in impositione diversissima obviare videtur. Theosophis quidem ἐπιπέωσιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων Paulus sermō commendat. 2. Tim. I. v. 13. sed philosophorum non adeò restricta est libertas. Pluribus hæc præmissi, quo legitimam appellationem conceptus contrahentis evincerem; hunc enim, ceu objectivo suppositum, quod dabunt sequentia, inconcinnè ita appellarem, nisi objectivus, quocumque demum jure, conceptus nomine Veniret. Conceptui philosophico, eiq; insuper ab objectivo & formali abstracto, materialiter æquipollet מן ex Ebraicis, ex Latinis Notio, non juridica illa, de qua Ulpianus l. 99. ff. de Verb. Signif. *Notionem accipere possumus & cognitionem & Jurisdictionem*; non illa, quae cum nomine, vel definitione nominali coincidit, vel demum Etymologiam solum exhaurit, quae ultima à Cicerone notatio, à Quintiliano libr. I. cap. 9. Instit. Orat. Originatio nominatur; sed abstracta ab objectiva & subjectiva, à prima & secunda. Ex graecis ἐννοια, νόημα, ejusque farinae alia, non conceptui ut sic, sed formali potius, quod attendenti patebit, synonymicè applicantur.

§. 2. Contrahens conceptus aliàs primus; quidditati-

tati-

tativus, etsi parum latinè, satis tamen philosophicè, satis rectè, reciprocus verò, sensu exclusivo, præter rem dicitur; sunt enim & propria conceptus reciproci, non saltem quæ *μόνον, καὶ παντὶ εἶδει, καὶ αἰ* accidunt: Vid. Porphy. in Instit. cap. 4. d. analogica m. in DEO, Ente abstracto &c. conspicua. Supplet autem hic noster conceptus extrapredicamentalium differentiam, eòqve contrahibili, qui in non-predicamentalium descriptionibus Generis instar est, satis contradistinguitur. Hancqve conceptus, in contrahibilem & contrahentem, distinctionem non denuo, quod addendum, excogitavimus; siquidem scripta philosophorum, ut *ἀνοψία*, testis irrefutabilis, omniqve exceptione major, comprobat, eam frequentissimè suggerunt. Demum conceptus contrahens nullatenus ad formalem referri potest. Nuper quidem aliquis ita: *Attributa DEI in se spectata, essentiam exhauriunt, à nobis verò evoluta & ab essentia, & à se invicem ratione, tanquam diversi conceptus formales, differunt: Quò nunc refers attributa, vel conceptus secundos, eò & primum referas necesse est, sic formalis foret; sed verba sunt. 1. omnis conceptus formalis est ens reale. 2. à repræsentato objecto realiter differt, quo jure hæc ad conceptum contrahentem restringes? Hinc placet conceptum nostrum objective supponere.*

§. 3. Cæterùm summum Numen omnia prædicamenta transcendere, adeoqve conceptum contrahentem, negatâ differentiâ, quæ duntaxat est prædicamentalium, ritè ei assignari fatentur, quotquot prædicamentum notionem dextrè exponere norunt. Est nimirum prædicamentum ordinata Classis Entium realium, finitorum, completorum, ac unitatem per se habentium, quatenus subjicibilia & prædicabilia sunt, sub uno genere summo dispositorum; ut quid unumquodque sit, quomodo aliud respiciat, & de quo

predicari possit recte apprehendamus & cognoscamus. Hanc descriptionem prædicamentorum, ex ore Excellentissimi Michaëlis Waltheri Wittenbergæ exceptam, cum ipsam rem dicat, jure retinemus. Præmissorum nullum DEO tribui poterit, ergo & in nullo prædicamento erit. Accuratè satis B. Doct. Jacob. Martini in aurea prædia Logica pag. 98. *DEUS omnia prædicamenta Logica transcendit, quippe, in quo neque Generis neque differentia, neque speciei ratio potest formari. Omnia autem quæ in prædicamentis sunt & collocantur, aut sunt genera, aut species, aut differentia, aut quæ sub specie continentur, individua. Et paulò post: Neque DEUS, neque id quod DEI est, ei que tribuitur, (nisi habeat rationem effecti in creaturis) in prædicamentali genere, seu Categoria erit. Est quidem maximè DEUS substantia, non tamen prædicamentalis. Sed huic illive prædicamentum aliter quàm nos, vel abusive accipienti, litem non movemus. Et hoc suppono, DEUM hoc loco quatenus naturaliter, beneficio Discursus, cognoscitur, attendi, cujus cognitionis & scaturigo & adjumentum est nobis connatus de DEO habitus, quem prisca anticipationem nominabant. Sic Vellejus Ciceronianus libr. i. de natura DEorum: *Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina, anticipationem quandam DEorum, quam appellat ἀρόλην Epicurus: i. e. anteceptam quandam animo rei informationem, sine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari potest. Omnes autem omnino rationales hoc principio Connato gaudere, præter citatum locum, ipsa vox Connatum evincit. Hinc rectè Tullius lib. i. de Leg. Nullum tam immanis ferum esse existimo, qui non, etiam si ignoret qualem habere DEum deceat, tamen habendum sciat. Analoga his Aristoteles nobis reliquit Cap. 3. Lib. i. de Cælo: πάντες ἄνθρωποι πρὸς θεῶν ἔχουσιν ἀρόλην. Omnis homines de Diis**

h.

habent existimationem. Exinde atheos speculativos per naturam non dari inferunt; attamen connatum hunc habitum, sub actus forma spectatum, à subjecto separari posse, est enim accidens, naturaliter colligo. Idem historiae & annales temporum, Variis occæatorum exemplis, edocent. Quid dixerim de illo Claudiani;

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,

Curarent Superi terras, an nullus inesset

Rector, & incerto fluerent mortalia casu?

Hæc *ως ἐν παρῶν δὲ καὶ παρῶν*. Ex præviis constabit summo Numini ritè assignari conceptū contrahentem, qui erit *specialissima illa ratio, sub qua DEUM naturaliter, discursus beneficium, cognitum, intellectus contemplatur.*

Σύγγραμμα II.

Num de conceptu Summi Numinis contrahente dentur Sentientium divortia?

§. 1.

Judæorum plurimi revelatum Numen nomine יהוה contrahunt; aliis tamen יהוה אל arridet, cui, vel materialiter sumpto, absurda, pro acie judaica, affingunt. Fufius de his Wittenbergæ Anno 1679 disputavimus speciali differtatione de nomine divino יהוה אל, cui ארני tum temporis adjungebatur. Naturaliter cognitum Numen gens judaica, quibusdam forsan dissentientibus, convenientissimè Creatorem dici strenuè dimicat; ut notat B. Doct. Ægidius Strauch in Discursu de Sacrificiis judæorum puncto 4. §. 2. Illud tamen creatum præcipuè innuunt, quod summam admirationem gignit, quò cælum referunt. Sic enim in bereschit Rabba: שמים מהבריות שהבריות משתוממים עליהן לאמר של מה הן של אש הן של מים הן; אהמה Cæli dicuntur, quod Creatura (rationales scil.) obstupescant propter illos, dicendo: ex quonam sunt? Ex igne sunt; ex aqua sunt; id mirum. pari sensu & Rabbi Elchanon ad-

admodū Cœlorū structuram miratur, quod ibi sit ἰσχυρὸν ἕως
ignis & aqua. Hac ratione conceptus Creatoris cœlo-
rum absolveret conceptum summi Numinis contrahen-
tem. At hodie Hamburgi, alibi que locorum Eruditos
judæos æque in differentiali hoc conceptu constituendo,
ac in prævia investigatione summi Numinis, naturaliter
cognoscendi, accuratius procedere, ex relatione, cui fi-
dem non denego, percepi.

§. 2. Aristoteles, de Deo ejusque differentia lo-
quens, ambiguus satis Vellejo apud Ciceronem dicitur,
qui de philosopho hoc primo de Natura Deorum libro:
Aristoteles in tertio de philosophia libro (hic forsan desidera-
tur) multa turbat, à Magistro Platone uno dissentiens. Mo-
dò enim menti tribuit omnem divinitatem; modò Mundum
ipsum Deum esse dicit; modo quendam alium præficit mundo,
eique eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam mo-
tum regat atque tueatur: tum cœli ardorem DEUM dicit
esse, non intelligens cœlum mundi esse partem. Sed ex men-
te aliorum ita discurrit Philosophus: taceo, quod aliquan-
do in voce DEUS vel DIVINITAS æquivocatio lateat.
Magnificè satis diversis locis, ut in suis de cœlo libris; it:
cap. 6. & 7. de mundo ingeniosissimus Philosophus de
Deo, non, ut alii gentiles, de Diis, nisi ex aliorum hypothe-
si, loquitur. Adscribere lubet verba ferè finalia cap. 7.
de Mundo, sunt enim ἀνακεφαλαιώσεις, Elogiorum, in præ-
cedentibus capitibus DEO tributorum, ita ibidem: ὁ θεός,
ὡσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχὴν τε καὶ τελευτὴν, καὶ μέσση τῶν ὄντων
ἀπάντων ἔχων, ἐν θεῷ περὶ αἰνέει καὶ φύσιν περιεχόμενος. Τῷ δὲ ἀεὶ ζυ-
επταί δική, τῶν ἐπιλειπόμενων τῶ θεῷ νόμος ἡμωσός. DEUS, ut
deus verbum est, principium & medium & finem omnium re-
rum tenens, recte, incedens secundum naturam operatur.
Hic semper comitem agnoscit justitiam, divina legis, cum quic-
quam sanctionum est omisum, Vindicem. O aciem Aristo-
teli

telicam! Ast clariùs quid de DEI differentia concluderit, legitur cap. 7. lib. 12. Metaphysicorum. *Φαμὲν τὸν Θεὸν εἶναι ζωὴν αἰδίου ἀεὶσιν.* Dicimus DEum esse sempiternum optimumque Vivens. Figmentum ergo est multorum etiam modernorum Ethnicum hunc cœlum pro DEO coluisse: ipse inter cœlum illumq; qui hocce inhabitat, in suis de cœlo libris, accuratis limitibus distingvere novit: ob præcellentiam tamen fatis conspicuam divinæ, i. e. excellentissimæ naturæ Cœlum esse asserit. Audiamus ipsum cap. 2. lib. 1. de Cœlo sic philosophantem! *Ἐστὶ δὲ πρὸς τὰ σώματα, τὰ δεῦρο καὶ πρὸς ἡμᾶς, ἔπειθ' κεχωρισμένον ἕσεται ἡμιανέραν ἔχον τὴν φύσιν, ὅσῳ περὶ ἀφέστηκε τῶν ἐνταῦθα πλέον.* Est aliq̄d corpus separatum, præter corpora quæ hic & circa nos sunt, tanto honorabilioris nature, quanto plus ab iis, quæ hic sunt, distat. Cicero quæstionem de natura Deorum perdifficilem nominat; vide verba initialia lib. 1. de natura Deorum. Hunc Cotta Ciceronianus hoc in passu æmularatur, qui de DEO dicturus dubius hæret, deliberandi spatium poscens. *Audore,* inquit; lib. 1. de natura Deorum, *utur Simonide, de quo cum quævisset hoc idem (quid sit DEUS?) Tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit: cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit: cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero requireret cur ita faceret: quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi spes (alii legunt res) Videtur obscurior.* propugnat autem Cicero providentiam, eiq; maximè affinia, ut ex collatione initialium lib. 1. cum finalibus lib. 3. de natura Deorum elucescit: approbat enim posteriori loco à Balbo proposita, qui salutarat Numen mentem, cum addito, *cujus providentia Mundus administratur* lib. 2. de natura Deorum. Quapropter & citatus Tullius præfensione futurorum, hanc enim quàm proximè ad providentiam accedere ducit, mortales ad Deorum naturam

B

quasi

quasi evehit contendit lib. i. de Divinatione. *Vetus opinio est, loquitur, jam usq; ab heroicis ducta temporibus, eaq; & populi Romani, & omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines Divinationem, quam Græci μαντινὴν appellant: i. e. prævisionem & scientiam rerum futurarum. Magnifica quaedam res, & salutaris, si modo est ulla, quæq; proxima ad Deorum Vim natura mortali possit accedere. Quid de DEO senserit Virgilius patet ex lib. 6. Æneidos, ubi Deum omnia produxisse, omnia producta conservare concedit. Subjungamus accuratissimi L. Annæi Senecæ de Deo iudicium. Sunt, qui Senecam pro causalitate, in mera rerum creaturarum productione conspicua, ceu conceptu aliquo, summum Numen contrahente, dimicasse contendunt. Inter alia probare annuntur ex Epist. m. 65. Verba: *Hæc quæ ab Aristotele & Platone ponitur turba causarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. Nam si quocunq; remoto quid effici non potest, id causam iudicant esse faciendi, pauca dixerunt. Ponant inter causas tempus; nihil sine tempore potest fieri: ponant locum; si non fuerit, ubi fiat aliquid, ne fiet quidem: ponant motum; nihil sine hoc nec fit nec perit: nulla sine motu ars, nulla mutatio est. Causa prima & generalis, seu ratio faciens debet esse simplex, DEUS. Ita ille de causis, sed quid hæc ad Dei differentiam? Ægregia illatio: Seneca Deus causam primam appellat, ergo meram e jusmodi causandi rationem, quæ circa creata producenda versatur, ut differentiam eidem tribuit. Non omnia prædicata specificam, vel huic æquivalentem differentiam innuunt. Homo dicitur rectè animal terrestre bipes, ergo per te est differentia? Dicitur & carens plumis, ergo eo ipso contrahitur? nolis tam crasse ludere. Colligimus autem ex præfamine lib. i. quæst. naturalium rei nervum; ubi Seneca: *Quid est Deus? Mens universi, i. e. Mens omnia sapientissime dirigens & potentissimè***

me

and conservans; Vi de sequentia. Præterea multi Ethnici
cælum pro Deo agnoverunt, sicqve cælorum formam
effictis Diis affinxerunt, eosqve currentes appellarunt
and 18. Febr., sicut B. Doct. Jacob. Martini in citata pædia
p. 550 ex Cyrillo & Theodoretò notat. Evolvuntur &
hæc in Claubergii dictatis physicis pag. m. 297. seqq. Sed
prolixè satis de his veterum deliriis Cicero speciatim li-
bro de natura Deorum primo.

§. 3. Turcæ pro unitate pugnant; qvapropter
DEUM esse unum parietibus templorum inscribere so-
lent, qvo differentia DEI sacra peragentibus semper ob-
viet. Notavit hæc Auctor H. M. J. in tractatu Germa-
manico 1677 impresso, cujus inscriptio, *kurze Beschrei-
bung des Heil. Römischen/ wie auch der vornehmsten
Welt-Reiche und Republicven; Sicille pag. 142. §. 2. Die
Türcken haben in ihren Kirchen keine Bilder / ausser
ellicher Arabischen Worte / derer Deutung: Es ist
kein Gott ausser ein Einiger / und Mahomet sein
Prophet.* Meram hujus unitatis confessionem (qvod
addendum) ad salutem consequendam sufficere audacter
blaterant. Exinde Richardus in *Verlegung des Alcor-
rans* (Hæc Alcorani Versio inseritur scriptis B. Lutheri
& qvidem Tom. 8. Germ. Jenens.) cap. 7. *Mahomet
hies predigen/ dasz wer diese Worte spreche: Es ist
kein Gott ausser Gott/ der komt ins Paradis/ er sey
ein Ehebrecher oder Strassen-Mörder; referens sa-
nè horresco.* Siftit qvidem aliquoties Alcoranus Deum
de se ipso in plurali loquentem, id autem ex usu lingvæ A-
rabicæ Honoratioribus freqvens esse autumant alii. Con-
trarium, fateor, videtur, etsi apodicticè ejusmodi licen-
tiam huic lingvæ, de cujus indole non exactè constat, de-

negare vix audeam. Arridet, præaliis, mens Lutheri, qui in notis marginalibus des verlegten Alcorans notanter: **Wir** / (de DEO cum dicitur) **das ist Gott und seine Seele**; DEUM enim nequissimus Alcorani faber corporeum concipiebat, quod nefaria dogmata perlustrantem minimè latebit. Persas in doctrina de matrimonio, jejunio ac balneis à Turcis diffidere ex Eruditorum scriptis hausimus: quin eo Turcæ erga Persas flagrant odio, ut impiè nugentur, magis placere DEO, qui unum Persam, quam qui centum Christianos interficiat; loquente ita Excellentissimo Michaële Walthero in dictatis ad §. 10. proth. Gen. theol. posit. B. Doct. **Rönigs**; In hac unitate tamen, tanquam conceptu contrahente, adstruenda, collatis quasi viribus, utralibet gens laborat.

§. 4. Scholasticorum, aliorum etiam philosophorum quidam assumunt vitam, non sensu stoico, quo Dii materiati physicâ vita vivere dicebantur: Sed vita illis est, qua DEUS se ipsum negativè actuare concipitur per actus intrinsecos intelligendi & volendi, quos Vorstius male accidentia nominavit. Æternitas aliis placet, non quatenus ævo respondet; per etymon quidem æternitas ab ævo, quod dicitur *ἀπὸ τοῦ αἰῶνος*, vix differet, ratione sensus verò omnigenam æternitas, ævum ad terminum, ut loquuntur, à parte post restrictam interminabilitatem evincit. Vi æternitatis ergo nec principium nec finis existentia in DEUM cadit. Infinitatem (hanc Cartesius insinuat medit 3. pag. 21. quæ ei ibidem annectit forsân pro conceptibus secundis venditat) permulti ex hodiernis etiâ urgent. Est autem infinitas, quæ infinitum essentia terminis caret. Scientiam alii supponunt &c. Curiosum Lectorem ad Thomam, Svarez. Mendoz. Scalig. B. Calov. aliosque remittimus.

Σύττυμα

*Quis mente ex nostra sit summi Numinis Conceptus
contrahens?*

§. I.

Independentiam, simpliciter talem, impræsentiarum defendimus. Negatio subest, si voci inhæreas, æquivallet enim non-dependentiæ; formale tamen non fanè meram infert negationem. Idem de infinitate, immensitate, aliisque negantibus attributis dixerim. Est autem *Independentia*, quæ *Independens esse suum non habet ab alio, se essentialiter priore*: Cumque simpliciter talis dicitur 1. removet dependentiam objectivam, subjectivam, fundamentalem, aliasque realis dependentiæ species. 2. Aseitatem, ut loquuntur Scholastici, suggerit, per quam DEUS est sui ipsius causa negativè: id est à se quidem DEUS est, at causali influxu se ipsum produxisse negatur, hinc sui ipsius causa negativè salutatur.

§. 2. Affirmationis nostræ *ἑξαρτάσθω* subnectam. 1. Independentiâ, simpliciter tali, optimè DEUS à creatis quibuslibet fecernitur. Differentia, quam vulgò specificam nominant, de qua porphyrius in instit. cap. 3. rem non constituit solum, sed insimul eam ab aliarum specierum essentiis sejungit. V. G. Rationalitas & speciem nostram constituit, & constitutam accuratissime à cunctis non-hominibus distingvit. Idem, per quamcunque analogiam, in Independentia simpliciter tali, summo Numini assignata, observare licet: Variis quidem independentia hæc vel illa, nulli verò, præter Deum, simpliciter talis jure applicabitur: exinde optimè summum Numen à reliquis per hanc differet. 2. Quæcunque attributa, vel conceptus secundos de DEO concipimus ex Independentia vel immediatè, vel mediante infinitate, quæ tamen, pariter ac alia, ex Independentia manare concipitur,

pitur, deducimus: ex quo Independentiam primum vel contrahentem conceptum esse rectè colligo. Hic succinctè quædam inferenda duco de attributis. Attributum dicitur à tribuendo ab alio, ut placet Armando de Bello-visu, quem citat DOMINUS Pascha, in Ontologia membro primo, de affectionibus Entis in genere. Estque attributum aliud rigidum, hoc cum accidente, vel affectione Logica reciprocatur; aliud analogicum, quod intellectus noster ita ex conceptu primo, quacunqve operatione, educit, ut aliàs propria, in quarto Porphyrii modo, differentiam, vel mea mente quiescente, naturaliter insequuntur. Attributum hoc analogicum, pressius DEO applicatum, dicitur aliis, quod, cum non sit de primo conceptu, ab essentia Divina diversimode à nostro intellectu denominata, ratione distinguitur, & quamvis realiter DEO competat, cumq, essentia Divina secundum attributionem (sic enim loqui amant) reciprocetur, conceptibiliter tamen eà est posterius, ac Deo sive per Creaturas, sive à Creaturis inesse colligitur: Sic satis prolixè, satis obscurè. Brevibus: quicquid ex conceptu summi Numinis primo fluit, Deumque paronymià transcendentali denominat, attributum erit. Ejusmodi attributa in ordine ad conceptum primum secundum, vel secundarium conceptus, quoad subjectum *divinæ* sistere, illudque affirmare concipimus, dicuntur. Cuncta hæc attributa agens noster intellectus ex Independentia simpliciter tali elicere novit. Unitas quidem, veritas, bonitas ex Entitate; immortalitas, simplicitas & vita ex Spiritualitate resultant: quæ autem Deum, quæ Deum, denominant ex prævio Independentiæ conceptu manabunt. Si enim Deus simpliciter est independens, nullus essentiam Divinam certis includet terminis; cum Deum talismodi terminis inclusuri præexistentiam, quæ maximè requireretur, independentia planè removeat:

veat: terminis autē essentiae non esse inclusum soli Infinito competit. En Infinitatem ex Independentia deductam! De-
 in simpliciter independenti repugnat spatio finito determi-
 nari. Implicat sanē nullis & tamen aliquibus spatii scilicet
 terminis constringi: à finito spatio verò quod non est de-
 terminatum, exinde Imensum erit. En! immensitatem ex
 Independentia, mediante infinitate, demonstratam. Por-
 ro, si DEUS simpliciter est Independentens, nec principium,
 nec finem existentiae agnosceat: quā ratione enim tum ser-
 varetur infinitas? quod autem respuit principium & fi-
 nem erit æternum. Iterum æternitas ex infinitate,
 prævia Independentia, innotescit. Fusiùs hæc evolve-
 rem, nisi nervum unicè attingere mens esset. Et quid
 opus erit ad ἐπεργυλικά attributa descendere? hæc enim ex
 Independentia concinnè derivari vel quilibet, primo quasi
 oculorum ictu, conspiciet. Sic erit Independentia, simpli-
 citer talis, Summi Numinis conceptus contrahens. Vah!
 quàm contracta sunt illa, quæ, in hac fragilitate, de Sum-
 mo Numine, per naturam, addiscimus. Ille interim con-
 ceptus, quo magnalia DEI, quā demum viâ innotescant,
 mens mea volvit ac revolvit, non ita contrahetur:

hinc etiam nunquam non concipiam Sum-
 mi Numinis

Summam Gloriam.



PROSTHEMATA.

- Q. 1. An Angeli loquantur? Resp. quod sic. De modo
 modestè in ipso conflictu.
2. An Animæ separatae, in statu five gratiæ, five iræ
 existant, sint supposita? Neg.
3. An in omnibus Legibus hæc tria attendi queant: Verba;
 sensus, Ratio? Neg. Inge-

Ingenii splendor, quem fervor jugiter auget,
A lassis pectus frugi secernit ubivis.
Cum Mentis vires nitidas sat pandere curas
Congrua dicturus scite de *Numine Summo* ;
Vir nauci falso, non-lassus jure vocaris.
Pergito sic: Numen (voveo) tua cœpta secundet!

*Paucula hæc Eruditissimo Domino RESPON-
DENTI, in Homileticis Auditori suo
solertissimo, בלב fundebat*

PRÆSES.

Wie sehr du allemahl nach Wissenschaft gestrebet/
Und was dein muntre Geist für Arbeit angewand ;
Ja mit was Sorgfalt Du der Tugend nachgelebet/
Das bleibet wenigen nach diesem unbekand.
In dem ist öffentlich auch die Catheder zeigt/
Wie viel/ Mein werther Freund/ dir dieses hat gefrucht/
Daß dein auffmerksam Ohr zum Hören war geneiget/
Und daß dein schneller Fuß der Lehrer Haus besucht.
Drum heißet auch mein Wunsch : das dir für deine Mühe/
Für deinem steten Fleiß/ du werther Musen-Sohn/
Vornehmer Gönner Gunst in stetem Wohlseyn blühe/
Bis dir ertheilet werd der wollverdiente Lohn.

*Mit diesen wenigen Zeilen hat dem Herrn Respond.
seinem allemahl treu-erkandten Freund wöl-
meinend gratuliren wollen*

Zacharias Cordes/


Rost.Meck. Th.Stud.


Flavit, Amice, tuas rapidus modularier Eurus
Laudes ; icariam sed fugis ipse viam.
Apprecor inde : pio fluat hic CONCEPTUS ab ore
Numinis æterni, sat tibi laudis erit.

*Benevolentia contestanda causa volante
calamo Nob. Dno. Respondent.
scribebat*

Martinus Gottfriedus Kiliani,

Theol. Cultor.





the scale towards document

; Vi de seqventia. Præterea multi Ethnici
 eo agnoverunt, sicqve cœlorum formam
 affinexerunt, eosqve currentes appellarunt
 cut B. Doct. Jacob. Martini in citata pædia
 rillo & Theodoreto notat. Evolvuntur &
 rgii dictatis physicis pag. m. 297. seqq. Sed
 de his veterum delirijs Cicero speciatim li-
 a Deorum primo.

Turcæ pro unitate pugnant; qvapropter
 anum parietibus templorum inscribere so-
 erentia DEI sacra peragentibus semper ob-
 rit hæc Auctor H. M. J. in tractatu Germa-
 impresso, cujus inscriptio, kurze Beschrei-
 il. Römischen/ wie auch der vornehmsten
 e und Republicven; Sic ille pag. 142. §. 2. Die
 ben in ihren Kirchen keine Bilder / ausser
 bischen Worte / derer Deutung: Es ist
 usser ein Einiger / und Mahomet sein
 leram hujus unitatis confessionem (qvod
 id salutem consequendam sufficere audacter
 Exinde Richardus in Verlegung des Alcor
 Alcorani Versio inseritur scriptis B. Lutheri
 Tom. 8. Germ. Jenens.) cap. 7. Mahomet
 n/ daß wer diese Worte spreche: Es ist
 usser Gott/ der komt ins Paradis/ er sey
 her oder Strassen-Mörder; referens fa-
 Siftit quidem aliquoties Alcoranus Deum
 pluraliloquentem, id autem ex usu lingvæ A-
 orationibus frequens esse autumant alii. Con-
 teor, videtur, etsi apodicticè ejusmodi licen-
 gvæ, de cujus indole non exactè constat, de-
 B 2 negare